


62



THESES PHYSICÆ  
DE  
PRINCIPIIS  
RERVM NATVRALIVM,

*Quas*

FAVENTE DEO OPT. MAX.

SVB PRÆSIDIO

*Clarissimi doctissimique viri,*

D. GILBERTI IACCHÆI, in illustri Lugdun.  
Batavâ Academiâ Logices Pro-  
fessoris dignissimi,

*Exercitū gratia examinandas proponit*

THOMAS IOANNIS F. Hornavus.

*ad diem. 13. Ianuarij.*

*Horis locoque solitis.*



LUGDVNI BATAVORVM;

Ex Officina Thomæ Basson, 1607.

236 A 5<sup>b2</sup>

*Pietate & eruditione Clariss: viris*

**D. IOANNI ROGGIO** mysteriorum Dei in Ecclesiâ  
Hornanâ dispensatori fidelissimo,

**D. THEODORO VELIO** Medicinæ Doctori  
inclytæ civitatis Hornanæ peritissimo,

**D. IOSIAE VVIBOTIO** Eiusdem civitatis  
Scholæ Rectori vigilantissimo.

*Dominis suis & favoribus meritissimis,*

Hoc exercitium Phylosophicum

*In debitum observantia signum*

**D. D. D.**

*Consecratq;*

**THOMAS IOANNIS F.** Respondens.

THESES PHYSICÆ,  
DE  
PRIMIS RERVM  
Naturalium principijs.  
THESIS I.

**D**E Principijs rerum naturalium cum varie admodum senserint philosophi, quorum ut non est admodum operæ pretium, ita neque propositum singulas sigillatim sententias adducere, aut errores impugnare: Aristotelis tantum sententiam, utpote qui cæteris certiora, magisque consentanea reliquit, in sequentes; supposita quæstione, etenim, tria tantum rerum naturalium principia, nec plura nec pauciora ponimus.

II.

Definiuntur autem principia hæc teste Arist. i. Phys. text: 42. quæ nec ex sese, nec ex alijs, sed ex illis omnia alia videlicet principiata fiunt. In qua definitione tres conditiones observandæ sunt: Prima est, ut principia non sint ex sese; quia principia, forma videlicet & privatio sunt prima contraria, contraria autem in abstracto non sunt ex contrarijs. Secunda, ut non sint ex alijs, nam si essent ex alijs, iam non essent prima. Tertia conditio est, ut ex illis sint omnia principiata, nam cum principiata non habeant esse a se, unde quæso, nisi a suis principijs illud esse habeant.

III.

Ex his animaduertendum duo esse principia compositionis, ex quibus ipsa res tanquam partibus essentialibus componitur,

materiam & formam; quæ vocantur etiam principia in factō esse: & unum transmutationis, quod videlicet ad rei naturalis productionem requiritur, tanquam terminus a quo. Atque hæc de principijs in genere, reliquum est, ut de singulis seorsim tractemus, exordientes a materia prima.

IV.

In materia duo consideranda habemus: An sit, & quid sit: Prioris quæstionis veritatem evincunt hæ rationes. I. Si ad productiones rerum non esset opus subiecto alioquo, tum omnis generatio esset creatio. II. quia omnis transmutatio per se sit ex opposito in oppositum, sive illud oppositum sit privatio, sive contrarium: at utrumque horum requirit necessario communem subiectum in quo insit, non enim unum contrarium accipit & fovet alterum, sed potius expellere conatur

V.

Quid sit autem materia breviter enodabimus, sed ne vocis ambiguitate laboremus, de triplici eius acceptione aliquid præmonebimus: Est enim materia una alterationis tantum, ex qua mutata nec permanente res efficitur; sic alimenta viuentis, & ligna ignis materiam dicimus. Altera, compositionis tantum, ex qua manente nec alterata res fit, quomodo litteræ sunt materia syllabarum, & lapides domus. Tertia, utriusque, ex qua nimicum partim manente & partim non manente res fit, sic affecta sunt miscibilia ad mixtum: quarū omnium materiarum varietas non est huius loci.

VI.

Quarto modo eoque nobis maxime accommodato, definitur materia, id, ex quo quipiam fit, non per accidens sed per se, tanquam e subiecto primo. Dicitur ex quo, ut distinguiatur a causa

a causis reliquis, nam ex efficiente, fine, & forma proprienihil fit. Dicitur non per accidens, ad excludendam privationem. Additur tanquam e subiecto, ut excludantur formæ substantiales, quæ quidem rerum naturalium non sunt subiecta, cum subiectum generationi substernatur, forma autem per generationem introducatur.

### VII.

Sed cum materia sit quædam substantia simplex, expers cuiusque formæ, tamen in potentia ad omnes formas, suboritur quæstio, an potentia sit accidens aliquod materiae superadditum, ut quidam volunt, an vero ipsa materia essentia: Nos posteriori sententiæ utpote veritati maxime consentaneæ, subscribimus: Si enim materia per posse non substaniaretur, tum res naturales non essent entia per se; ens enim per se constat ex actu & potentia eiusdem prædicamenti.

### VIII.

Tametsi autem secundum formas tam substantiales, quam accidentales, plurimum ipsa varietur accidentaliter, in se tamen essentiali mutatione & intrinseca, manet prorsus invariata; neque generationi aut corruptioni est obnoxia: cum enim prima sit ingenerabilis erit, & cum ultima incorruptibilis: omnis enim generatio præsupponit subiectum prius ex quo; corruptio vero subiectum ulterius in quod.

### IX.

Ex his iam non erit difficile iudicare, quod apud omnes philosophos controversum est, materiam primam sua vi existere, nec existentiam per quam est in rebus, capere a formis quas recipit: Vnaquæque enim res accipit existentiam per productionem suam, quare quæ habent diversam productionem, habent

diversam existentiam; materia autem habet diversam productionem a formis, nam haec per generationem producuntur ab agente naturali, illa vero per creationem immediate procedit a Deo: Et formae sunt corruptibles, materia vero incorruptibilis: Ergo materia habet diversam existentiam a formis, nec potest eam ab illis accipere.

X.

Sed cum materia habile subiectum esse non possit sine quantitate; quia formae presupponunt illam extensam, statuendum est qualitatem materiam non formas sequi; quam Averroes interminatam vocat, non quod actu nullum terminum habeat, sed quia si ex se spectetur non sit terminata, quod accidit ei a formis ingredientibus in materiam. Atque hactenus de materia, sequitur ut de forma altero generationis principio agamus.

XI.

Porro inesse rebus naturalibus non solum materiam, sed etiam formam, licet pluribus in locis Phylosophus astruxerit; idem tamen haec rationes probatum faciunt. I. quia res naturales sunt substantiae compositae, oportet igitur praeter materiam esse aliam partem componentem. II. quia si nulla est forma substantialis, nulla item est generatio; etenim nec generatur materia, nec productio accidentium est generatio, sed alteratio. III. quia si non esset forma substantialis, cum materia sit una & communis omnium rerum, omnes res eadem essent secundum substantiam & quidditatem; nec differentia aut generis aut specie: quod quam sit absurdum quis non videt.

XII.

XII.

Definitur autem forma, actus simplex, substantialis, unum per se cum materia constituens. Dicitur actus, ad excludendā materiam quae est pura potentia. Simplex, ad rei cienda concreta. Substantialis, ad removendas formas accidentales. Ad ditur unum per se cum materia constituens, ad removendas formas substantiales assistentes, qualis est motor respectu mobilis, angelus respectu cœli.

XIII.

Quatuor ferè formis materialibus, de quibus nobis in praesentiарum est sermo, a philosophis attribuuntur. I. quod sint generabiles, si enim non essent generabiles, ergo vel essent ex nihilo productæ per creationem; at sic non essent materiales, de quibus nunc agimus, cum nec per motum physicum, nec ab agente Physico, nec ex subiecto physico producerentur: vel omnes ab æterno essent in materia, sed hoc modo nulla esset generatio, & ruerent hactenus dicta. II. quod sint corruptibles: hoc patet, quia sunt in materia quæ habet potentiam contradictionis ad esse & non esse. III. quod non sint divisibiles nisi per accidens: nam divisibilitas & extensio sunt propria quantitatis affectiones, sed forma non est quanta nisi per accidens, Ergo etiam non est divisibilis nisi per accidens. IV. quod sint perfectio, cum omnia informent & sint finis generationis.

XIV.

Porro licet natura posterior, dignitate tamen forma prior est materia, quia magis ens: Relata vero ad compositum, dignitate posterior est eo; quia eius respectu est incompletum quidam: at natura prior, quia causa prior est effectu, simplex compositio, pars toto.

XV

Atque haec tenus de principijs constitutivis: sequitur mutationis principium, quod & accidentale vocatur, nimirum privatio; quæ est absentia seu carentia formæ in subiecto cum aptitudine materiæ ad eam recipiendam; per hanc siquidem materia priorem formam abijcit, & aliam sibi convenientiorem aslumit & induit.

Causa privationis recte constituitur materiæ appetitus, qui mutatione delectatur, nam ex eo, quod non complectur appetitus materiæ per unam formam, sit ut desideret esse sub alia, sive ob insufficientiam formæ, ut cum ex embryone fit homo; sive ob materiæ naturam, quæ habet potentiam contradictionis ad esse & non esse.

#### COROLLARIA PHYSICA.

- I. *Materia cœli est est diversa a materia sublunariorum.*
- II. *Cœlum est compositum ex materia & forma informante.*
- III. *Anima rationalis est vera hominis forma informans.*

F I N I S.



